

ti in Gallias peregrino militi obsisteretur ; tertium penes se haberet . His peragendis cum ingenti pecuniae copia opus es-
set , ut quanta posset maxima in sumptus belli corrogetur , enititur . Eodem tempore Lenoncourtum , Pignyum , Brular-
dum Praesulem legatos ad Navarræ Regem mittit , magna spe-
ductus , duce Ugonottis adempto , tumultus componi posse .
Ea omnia per Messium oratorem Henricus Senatui significa-
vit ; qua clementia , qua animi generositate , ut obortæ in
Gallia tempestates ac procellæ conquiescant , enixurum ; jam
prope cuncta ad pacem spectare ; multas sibi vires , sibi haud
exiguas copias esse ; iis , ni aliter fieri posset , tandem subje-
ctos perdomitrum : Patres hortari ac monere , subdola His-
panorum ingenia , astus , ac fines diligenter observarent ; tot
tantaque adversus Galliæ incolumitatem religionis integumento agitata , quæ sane longius provecta , ingens non modo Gal-
liæ regno , sed chistianæ reipublicæ detrimentum minitaren-
tur : at quocumque se res pacto haberet , potentia , viribus
Reipublicæ præsto semper Henricum futurum : idem ab ea
sperare , sibique polliceri . Hæc orator .

Xystus Pontifex vero cum Henrici Navarræ Regis Con-
dæique causam sedulo inspici atque examinari jussisset , tan-
dem , purpuratorum collegio convocato , quinque ac viginti
Cardinalibus adstantibus , in eos spiculum anathematis intor-
sit , atque in Calvinianam hæresim delapsos pronuntiavit ;
perque suum apud Rempublicam Nuntium Patribus significa-
vit : Navarræ Regem a prima juventa hæresi imbutum , a
Borbonio Cardinali , patruo , monitum , publice falsa dogmata
ejurasse , literas ac oratores ad Gregorium eam ob causam mi-
ssisse : in eosdem mox errores revolutum , multa catholicæ Ec-
clesiæ damna intulisse : quocirca , correctione desperata , ut
perditum damnasse , cunctisque a sacris legibus latis censu-
ris irretitum pronuntiassesse : ea regni Navarræ parte , qua potie-
batur , privasse ; jure , quod sibi ex regia agnatione in Galliæ
regno spectaret , exuisse : eadem in Henricum Condæum Prin-
cipem statuisse : sperare Henrico Regi jam multis circumsepto
copiis omnia ad vota eventura ; hacque in Navarræum , &
Condæum sententia faciliorem sibi aditum ad res prospere ge-
rendas futurum . Verum exitus nulla ex parte Pontificis sententia

1585

*Henrici
Regis ad-
versus be-
reros bel-
lici appar-
atus .*
*Henricus
Rex ad Na-
varra R-
gem legato
mittit .*

*Navarræ
Rex & Con-
dæus à Pon-
tifice excō-
municati .*